





704.
700 42.
M
1702, 7

F. N. D.
DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
DE
CULPA

AGENTIUM
EX METU,

Quam
Numinis divini gratia,
&

indulgentè Amplissima Facultate Philosophica,
IN ACADEMIA LIPSIENSI,

die V. Maji Anno M. DCCII.

publicæ Eruditorum-disquisitioni

submitit

P R Æ S E S

M. GODOFREDUS OHM,

Franc. Marchicus

R E S P O N D E N T E

ABRAHAMO Junghans /
Leisnicensi Misnico.

L I P S I Æ,

Typis JOH. CHRISTOPH. BRANDENBURGERI.

1702

DISPUTATIO PHILOSOPHICA

CULPA

AGENTIUM

EX METU

Nominis d. d. d. d.

Insignis Amalthea Facult. Philosophicae

IN ACADEMIA IUSTIENSI

Publica Examinatione

M. GODOFREDO CHM.

Publica Facultatis

ATHEMIO

Publica Facultatis

Publica Facultatis





I. N. J.



Vemadmodum ex depravatis lapsus

Protoplastorum animæ humanæ potentis motuum inordinationes, variasque temperamentorum corruptiones ortum habere, nemo dubitaverit; ita unusquisque confitebitur, nihil ad felicitatem tum singulorum in tranquillitate mentis propria, tum universorum in tranquillitate mutua magis facere, quam sit

passionum humanarum morbos, uti nunc se habent, agnoscamus, quin & calleamus recte ipsos depellere. Corporum morbos antequam eradicamus, vel imminuimus, in eorundem originem, formam & effectus sedulo inquirimus, multo magis vero nobis incumbit, cum animi affligimur morbis, ut perspiciamus, quidnam in illis sit vitiosum, quod extirpandum, vel ad minimum concinne temperandum, ne quævis turpia, quæ à rectæ rationis dictamine longius deflectunt, agamus. Cum igitur ex passionum temperamento earundemque excessu vel defectu actiones hominum vel cum laude, vel cum vituperio imputari soleant, perlustrabimus paucis hac vice unicam illam, sed valde frequentem, metum scilicet & videbimus, quomodo actiones cum illo conjunctæ culpabiles fiant. Quod cum disquirendum suscepimus, obnixè nobis contendendum, ut candidæ mentis lector hoc nostrum institutum pro suo in nos affectu, benigne interpretari velit.

§. I.

Ut eo felicius in proposito nostro progredi liceat, explicandum prius venit, quid sit culpa, & quomodo ipsa alicui tribuatur. Sciendum

A 2

dum

dum E. est: culpam JCtis notare peccatum, quod committi putant per negligentiam & imperitiam, quando quis negligit & ignorat ea, quæ scire & observare debuisset ac potuisset, eaque gravior aut levior vocatur, prout gravis aut levis fuerit socordia & negligentia. Tribuitur autem ea alicui, quando ipsi imputatur, quod hoc vel illud factum sit, quod quidem dupliciter contingere potest, *absolute*, quando effectus tribuuntur usu rationis destitutis, sic dicimus, hæc vel illa bestia in culpa est, quoddammodo proximo illatum; cum *apposito*, sc. cum laude & vituperio, quando agens dicitur male vel bene egisse, quod poena vel proemio dignum. Quæ imputatio alias dicitur moralis, secundum quam non cuilibet causæ, sed solum agentibus rationalibus culpa tribui potest, sicut, ut Aristot. loqui amat: iis qui agunt libere.

§. II.

Equidem bruta quoque puniri dicuntur, quando propter illatum damnum castigantur, imo capitalis in certis casibus poena in bestiis cadere solet; quoniam vero poena in acceptione morali supponere debet culpam cum vituperio, hoc consequitur, quod licet castigatio, non tamen poena proprie dicta possit æstimari, quæ talem involvit culpam, quæ cognoscitur pugnare cum natura rationali. Observantur quidem brutis castigationes iteratæ, metuque talium cognoscunt, hoc vel illud non esse perpetrandum, interim tamen propter hoc nondum habent internam agendi indifferentiam, ita ut in eorum potestate sit agere & non agere; sed mutata per ejusmodi castigationes in ipsis apprehensione sensitiva, necessario inflectitur quoque eorum appetitus. Moventur igitur juxta exigentiam diversæ apprehensionis diversimode, semper tamen necessario. Quando autem lege divina occidi jubentur, id fit potissimum propter extinguendam tam nefandi facinoris memoriam; neque indolem suam sapius exercent. Quemadmodum Jos. VII, 24. 25. cum Achan ejus filii & filiabus, bobus & Asinis in detestationem criminis ipsum etiam tabernaculum dirutum est & combustum, quod tamen formaliter peccasse, nemo dixerit.

§. III.

Ulla autem quæ agentibus liberis cum culpa imputantur, vocari communiter solent actus morales. Ubi notandum (1) Actus nomen non

non idem esse eum actione, sed latius patere, ut etiam actionum quorundam negationibus possit tribui. Quod si autem quæras, quo jure pura omisio ut negatio comprehendatur sub actu ut positivo quodam; tunc respondent: omissionem illam esse actum interpretative, seu æquivalens aliquid actui positivo, quod in primis manifestum ususque maximi est, cum de peccatis omissionis disputatur. Non enim minus peccat ille, qui facienda fugit, quam qui fugienda facit, non quasi omisio talis sit actio realis, sed quia est actualis transgressio legis, quæ etiam semper aut plerumque internum voluntatis actum includit, aut præsupponit. (2) Sermo h. l. non est de actibus bonis vel malis quatenus apud homines pœnæ vel subjacent, vel non subjacent; ita bonus justusque actus erat apud Corinthios & Babylonios scortari, teste Herodoto lib. 1. Strabone lib. 8. Verum de illis actibus in præsentî loquimur, qui salvo jure naturæ & officiorum regulis moralibus fieri possunt vel non possunt. (3) dupliciter culpa in aliquem redundare potest, *immediate & proxime*, quando actus mali proxima causa est, quomodo culpa imputatur illi, qui aliquem influendo physice interficit; *remote ac mediato* vero, quando jubet, ut alter occidat alterum.

§. IV.

Quomodo vero ille comparatus esse debeat, cui aliquis actus moraliter imputari potest, non obscure insinuat Philosophus, quando actiones morales describit: quod sint motus provenientes ab agente libero, quatenus libere operatur, ubi illa posteriora verba quatenus libere operatur causam imputationis in se continent, duoque important (1) ut Agens immunitus sit ab omni violentia, adeoque indifferens ad agendum vel non agendum, ita v. g. ille quem ventus teo deiecit, quique decidendo occidit prætereuntem, non libere agebat, sed ex violentia, adeoque minime culpandus. Præterea ad actionem violentam non tantum requiritur principium causale externum satis validum, ita ut ipsi non possit resisti sed etiam ut agens vel patiens nihil conferat ad id, quod agit aut patitur neque consentiendo, neque alio quocunque modo concurrendo. Nam principium quocunque modo externum non sufficit, alias omnes fere actiones essent violentæ, cum objectum quod appetitum allicit, sit externum. (2) Ut cognoscat quid agat, actio enim libera cognitionem præsupponit, & vo-

luntas nihil appetit, nisi illius rei bonitas ab intellectu ipsi fuerit ostensa, ignoti enim nulla cupido, sic v. g. infantes non culpantur, etiam si saepe perpetrent ea quae si fierent ab adultis, poenam promererentur gravissimam, ita nec furiosis imputatur id, quod in furore peragunt, quod maxime puniendum esset, si à sanæ mentis hominibus perageretur.

§. V.

His in genere præsuppositis, jam porro considerandum in specie est, num etiam actionibus quibusdam ex metu ortis culpa tribui possit? Hoc ut manifestum fiat, paucis naturam metus earundemque actionum cum eo conjunctarum considerabimus. Metus vero est passio composita ex tristitia ratione intellectus, & fuga ratione voluntatis constans, estque revera non nisi tristitia fugiens, seu declinans malum futurum; plus vero ex tristitia, quam fuga participat, quippe metus nomine præcise venit ipse ingratus sensus, quo ex mali futuri ceu jam præsentis spectari contemplatione mens afficitur. *Vid. Wessfeld. Georganica animi & vite p. 603.*

§. VI.

Equidem homo initio moraliter bonus uti cum facultatum omnium, ita etiam metus ac rationis harmonica subordinatione productus fuit, siquidem voluntatis ipsius imperium in corpus absolutum erat, ut motus spirituum pro lubitu sistere ac concitare posset. Hinc metus debebat esse instar avocamenti à malis; ingrata enim commotione mens corpusque suo modo admonebantur, adesse quædam sibi & suo bene esse nociva ac minus convenientia, ad quorum declinationem ut nos disponeremus, metus ordinatus erat. Cum vero libertate illa homo abuteretur, inde sicut reliquæ passiones, ita & metus magnopere turbari coepit; spirituum enim motus ultra naturæ ordinem institutum jam semel vehementissime concitati, mente vix advertente, vel etiam nihil disponente in corpore peraguntur, ut, cum metus stimulus tantum esse debuisset ad iudicium mentis excitandum, nunc humanæ fragilitatis indicium existat.

§. VII.

Quamquam autem valde imminutas esse facultates animæ rationalis unusquisque apud se deprehendat; nondum tamen omnino in statu post lapsum everse sunt, cum divinum Numen aliqua homini adhuc

huc subsidia reliquerit, quibus deperdita perfectio, ut in reliquarum passionum, ita & in metus temperamento restauraretur. Mitto jam subsidium supernaturale, lumen sc. divinæ gratiæ, illudque Theologis relinquo; naturale tamen omnino non prætereundum est, siquidem intellectui adhuc lumen aliquod, voluntati aliqua ad bonum in genere inclinatio, imperiumque in motus suos non nullum relictum est cum facultate sese in naturali hac perfectione magis magisque perficiendi, modo ad semetipsam & actus suos attendere accurate velit. Ex quibus jam facile patet, omne malum vel bonum, quod deprehendimus in actionibus ex metu ortis adventitium esse. *Illudque* si lumen revelationis in subsidium adhibeamus, partim ex labis primævæ participatione, & hinc consecuta inordinatione motuum corporis animique, partim ex voluntaria inclinatione & determinatione ad malum; *Hoc* vero vel ex reliquiis primævæ institutionis divinæ, earumque convenienti determinatione hominis cujusque arbitrio relicta, vel ex supernaturali gratiæ lumine ortum suum habere.

§. VIII.

Ne autem simpliciter libertatem actionum ex metu ortarum asseruisse videar, corroborabo etiam illud sequentibus argumentis (1) Ex moralitate actionum ex metu ortarum: Quæcunque actiones sunt vel moraliter bonæ vel malæ, illæ actiones in arbitrio & potestate agentis positæ sunt; (unde bruta quia non libere agunt, sed necessario, moraliter non bene agunt, etiamsi faciant quod legi congruum) subsumtionem autem de actionibus ex metu ortis probo inde, quia circa metum occupata est virtus. In quocunque autem ordinando & frenando virtus occupata est, ex eo actio evadit vel moraliter bona vel mala conf. Deut. VI, 2. Matth. X, 18. (2) Quicumque consultandi facultate in actionibus ex metu ortis instructus est, ut ad hoc an faciendum aliquid sit, an omittendum, ea utatur, ille rem libere potest facere & omittere. Consequentia probatur, nisi enim libere posset agere, frustra institueret inquisitionem, quæ sane non propter nudam scientiam actionis, quam propter ipsam actionem nobis concessa est. Jam vero homo in imaginando non tantum passive, ita ut imagines rerum quas nolle attendere, tamen percipiat, verum, etiam active se habet, quod experientia liquet, cum ea quæ ingrata sunt, vel plane rejicit, vel exaggerat, dum attentius rem contemplatur, vel etiam pro ratione circumstantiarum

rum

rum diminuit; Hinc voluntas corpori suo quid agendum omittendumve sit, imperat, sibi que relicta pro iudicii sui diversitate spiritus animales in organa externa vel submittit, vel retrahit. (3) Quicumque affectum aliquem potest compescere, id tamen non facit, is dum per affectum istum agit, sponte agit, atqui qui per metum agit, metum potest compescere, nec tamen hoc facit, E. dum per metum agit, metum non compescens sponte agit. Minor est verissima, major probari potest, quia qui potest affectum compescere, nec tamen hoc facit, videtur non tantum velle istum affectum, sed ea etiam quæ ex ipso proveniunt, nisi enim hoc vellet affectus extirparet. (4) Quarum principium est in agente, ut possit agere & non agere, illæ actiones sunt spontaneæ, atqui actionum ex metu convenientium principium est in agente, ut possit agere & non agere, E. istiusmodi actiones sunt spontaneæ. Major est evidens, minor probatur, quia, qui ex metu agit, non tantum novit, quid agit, sed & totam actionem appetit tanquam medium ad malum aliquod evitandum. (5) si ea quæ ex metu sunt, non sunt spontanea, etiam multa honeste facta quæ ex metu proficiuntur, erunt invita, & sic etiam actiones bonæ invita erunt, quod absurdum ut docet Arist. lib. 3. Eth. cap. 3.

§. IX.

Neque est quod dicas vehementem animi terrorem videri tollere usum rectæ rationis; negatur enim, quod talis prorsus nesciat, quid agat, cum potius adhuc in ipsius potestate est vehementem illum metum reprimere, ut patet in generosioribus quibusdam, qui in medio terrore frena injiciunt. Vincitur quidem quandoque voluntas ab istiusmodi affectu, ut licet malitiam alicujus actus intellectus exponat, ipsa tamen velit sequi bonum à sensu oblatum; nequaquam vero ita destruitur ratio, ut agens prorsus nesciat malitiam actus quam perpetrat; Unde bene dicit Giphanius ad 3. Eth. 2. *Quod cupidus, etsi putet malum esse, tamen à cupiditate vincatur.*

§. X.

Obstare equidem adhuc videtur, quod metus sicut alii affectus, temperamentum corporis sequatur, unde plerumque phlegmatici ad metum vehementiorem inclinant, hinc Africani propter caloris interni defectum meticulosi. Verum, licet diversa spirituum & sanguinis constitutio mentem pondere suo quasi inclinet, & dispositam reddat
ad

ad diversas cogitationes volitionesque, non tamen necessitat; homo enim, modo attentus ad motus suos sit, relictisq; sibi subsidiis recte uti velit, evellere & consuetudine aut habitu in contrarium flectere hos motus potest. Hinc accidit quod quidam Europæi meticulosi, Africanæ autem è contrario audaces sint.

§ XI.

Equidem istiusmodi absolutum voluntatis imperium in metu, quod omnem omnino vitiositatem moralem sua directione excludit, nobis hac in vita in actu exercito eodemq; consummato promittere nequimus, cum susceptionem motuum primo primorum inordinatorum quoad ipsam radicem homo abolere non potest, ut non solum externe saltem præcavendo & prospiciendo, ne in exteriores prorumpant actus, sed & interne moderetur & ita compescat, ne ulla exsurgat molesta commotio; interim tamen sine exceptione cavere, relictis sibi ex primæva institutione subsidiis rite utens potest, ne motibus istis inordinatis ulterius quam vult & consentit, determinetur. Manet enim quoad actus elicitos verissima hæc hypothetica connexio: Si homo in omnibus motibus vel ab extra impressis vel per imaginationem obortis attentus esset, neque unquam se ad quicquam determinandum permoveri pateretur, nisi omnibus circumstantiis rite pensatis, posse fieri ne unquam ad actiones exorbitantes voluntas abripiatur.

§ XII.

Si quis objiciat: si agere per ignorantiam quam subsequitur dolor & poenitentia est agere invite, sequitur quod agere ex metu, quem etiam dolor & poenitentia subsequitur, etiam sit agere invite, quia similis videtur esse ratio. Accedit quod meticulosus facere aliquid possit vel per vim vel per ignorantiam. Verum enim vero Resp. (α) Negando consequentiam. Non enim est eadem ratio eorum, quæ ex ignorantia, & eorum quæ ex metu sunt; cum enim ex metu aliquid agimus, singula nobis possunt esse nota, in quo autem agente est scientia, ibi est spontanea actio, secus autem se res habet in agente per ignorantiam, in quo talis scientia non datur. (β) Aliud est facere aliquid ex metu, ut metus sit ipsa causa, cur hoc fiat; aliud vero est meticulosum aliquid facere, qui hoc vel illud committit, dum in eo est affectus metus. Nobis h. l. sermo non est de posteriori, quasi omne id, quod aliquis meticulo-

B

sus

sus agit, sit sponte actum; sed sermo est de priori, eo sc. quod ex metu fit, ut nempe metus sit causa, id dicimus non fieri invite, sed sponte.

§. XIII.

Unicum adhuc evolendum restat, priusquam ad alia digrediamur. Videtur nempe ipse Aristot. esse in hac sententia lib. III. Eth. c. 1. quod ea quæ ex metu fiunt, sint involuntaria. Verum Resp. Hoc nobis non repugnat; Aristot. enim considerat actionem ex metu provenientem prout à nobis apprehenditur extra aliquem casum & circumstantias, & tunc non negamus actionem esse invitam secundum quid. Explicat autem Aristotelis sententiam Thom. I. 2. q. 6. art. 6. hunc in modum: *Sed quod actu est, simpliciter & absolute esse dicitur, quod vero cogitatione tantum apprehenditur, dicitur esse secundum quid. Actio igitur ex metu proveniens simpliciter esse dicitur, cum actu est, seu cum fit: cum autem sit talis actio, non nisi cum certis circumstantiis fit, sub quibus etiam ab homine appetitur in summo periculo, & ita simpliciter spectata, est spontanea.*

§. XIV.

Cum igitur spontaneitas actionum ex metu ortarum satis demonstrata sit, reliquum adhuc est, ostendere varios illos modos, quibus culpa ex metu agentibus imputari soleat. Peccatur vero tum in excessu, tum in defectu. Circa illum notari possunt sequentes conclusiones. I. *Illis qui agunt ex metu inani, qui pro objecto habet malum mere apparentis, culpa tribui potest.* Sic v. g. Quidam maxime militate hominum genus illud pro infamia habeat, quando quis minimam offensam gladio non ulciscitur, aut provocanti non obsequitur: Verum qui hanc famam metuit, qui denique metus causa fit duelli, ille famam & gloriam falsam & apparentem sibi imaginatur, & agens propter illum metum reus fit culpæ. Fundamentum enim bonæ famæ est sola atque unica virtus, jam vero quodvis verbum gladio ulcisci adversatur fortitudini, quia talis nimirum moriturus se conjicit in periculum supra hominem, nempe æternæ damnationis; adversatur denique mansuetudini, cum ob levissimam causam proximum privamus seu temporali seu æterna vita; neque etiam cum modestia consistere potest, cum ex proximi ruina ad inanem gloriam pervenire allaborat.

§. XV.

Quæri hic potest, num etiam illi qui ex Dei timore aliquid agunt, sint culpandi? Videtur quod sic, ratio dubitandi est, quia Deus non est malum revera tale, sed tantum apparens, adeoque non timendus, quia nocere non potest. Confirmat hoc Seneca de ira L. 2. c. 27. *Quædam sunt quæ nocere non possunt, nullamq; vim nisi beneficam & salutarem habent: ut Dii immortales, qui nec volunt obesse, nec possunt. Naturam enim illis mitis & placida est, tam longe remota ab aliena injuria, quam à sua, dementes itaq; & ignari veritatis illis imputant sevitiâ maris, immodicos imbres, pertinaciam hyemis.* Sententiæ huic suffragari quoq; videtur Lactant. de ira Dei c. 17. *Si nocet, inquit, alicui Deus, jam bonus non est. Non exiguo falluntur errore, qui censuram seu humanam seu divinam acerbitatis nomine infamant, putantes, nocentem dici oportere, qui nocentes afficit pœna &c.* Sed Resp. (α) Deus per se metus objectum creaturæ rationali non est, nisi naturæ corruptæ, boni vero in hac vita metuunt Deum, quatenus illum ut vindicem imperfectionis in se deprehensæ attendunt, qui ingratus sensus directe ex malis futuris peccato præstitutus, dimanat, indirecte vero demum ad Deum refertur. Interim metus hic cum amore Dei bene consistere potest, quia homo mala hæc imperfectionibus suis debita novit, Deumque etiam tum summe bonum apprehendit, accedente præsertim intuitu ad temperamentum gratiæ quo justitiâ suam moderatur; tum quia mala externa peccatum consequentia seu modos retrahendi nos à peccatis, considerat, huncque metum Theologi filialem vocant; qui incessanter cum spe conjunctus est, quia incassum misericordiam sperat, qui non justitiâ timet, & incassum justitiâ metuit, nisi quis de misericordia confidat. *Gregor. in Moral.* (β) Uterque quidem Seneca & Lactant dicit: Deum nocere non posse, sed non eodem sensu; ille enim male sentit: Deum non posse aliquem affligere pœnis; hic vero videtur velle nocere sumere pro injuria afficere innocentem; & ita blasphemæ Deus dicitur nocens, quando illud innocenti opponitur. Interim tamen innocens recte timetur, quando sc. nocentem punire potest.

II. *Quando objectum equidem malum, moraliter tamen impossibile, culpa agentibus ex metu tribui potest.* Moraliter autem impossibilia voco, ubi nullum nexum mediorum statusque nostri cum tali effectu videmus, sed præter necessitatem nos torquemus, ingrati que sensus in nobis ipsimet causa sumus. Memorabile hujus rei exemplum Salustius refert de Jugurtha, quem metus ita cruciavit, ut omnia suspicionibus plena sibi imaginaretur, ita enim de eo scribit: *Neque post id locorum Jugurtha dies, aut nox ulla quies fuit, neque loco, neq; mortali cuiquam aut tempori satis credere: Cives hostesq; juxta metuere, circumspectare omnia, & omni strepitu pavescere; alio atq; alio loco sæpe contra decus regum noctu requiescere: interdum somno excitus arreptis armis tumultum facere: ita formidine, quasi vecordia excitari.* Et paulo post: *Jugurtha amisit amicis, quorum plerosq; ipse necaverat, cæteri percussi formidine, pars ad Romanos, alii ad Regem Bochim perfugerant: Cumq; neq; bellum sine Administris gerere possit, & novorum fidem in tanta perfidia veterum experiri, periculosum duceret, vagus incertusq; agitabatur, neq; illi res ulla, neq; consilium, aut quisquam hominum satis placebat: itinera præfectosq; indices mutare, modo adversum hostes, interdum in solitudines pergere, sæpe in fuga, ac paulo post in armis spem habere, dubitare virtuti an fidei popularium minus crederet.* Verum absurdissimum est seipsum velle torquere representatione malorum ceu actu præsentium, quæ fortassis nunquam existitura sunt.

§. XVII.

III. *Quando proportio non est inter malum quod imminet, & metum quo nos ipsos torquemus, vel ex quo aliquid agimus, culpa tribui potest.* Referri hic possunt exempla illorum, qui propter metum minoris alicujus mali se ipsos interfecerunt: sic factum Rhazis non sine stupore legitur 2. Macc. XIV. Hic enim ut Nicanoris contumeliam effugeret, primo quidem gladio se percussit, cum vero ictus ille ex voto non successisset, immani saltu de muro ad milites hostes suos sedimisit, ex quo sibi mortem accelerans, viscera ex ab domine extracta inter hostes sparsit, hocque ipso sibi vim & contumeliam intulit. Grot. equidem lib. II. c. 19. de J. B. & P. exemplum Simfonis

huc

huc quoq; refert; verum Simfon hoc non fecit directa se interficiendi, sed potius ab hostibus Dei vindictam sumendi intentione; Cumq; Philistæi tantam Simfonis potentiam idolo suo tribuerent, ac si hujus beneficio in manus illorum pervenisset, pium ipsi erat, pro Dei honore mori. Accedit quod ille ad Heb. XI. in sanctorum serie numeretur, utpote qui Sp. S. instinctu tanta faciebat miracula, vid. August. de C. D. Lib. I. c. 21.

§ XVIII.

Quid autem de illis Classiariis sentiendum qui propter metum, ne in hostis veniant potestatem, pulveri nitrato ignem subjicientes, seipsos interficiunt, & conflagent? Nolo eos cum Pufendorfio lib. 8. c. 2. §. 4. J. N. & G. excusare, multo minus cum Batavis Anglisque quibusdam laudare, cum à culpa vix possint absolvi. Peccant enim contra charitatem, qua tenentur etiam scripsos in vita conservare: quanto enim propinquiores quisq; peremerit, tanto judicatur in humanior dicit *Augustin.* Serm. 223. Pugnat eorum factum cum patientia, metu enim imminenti periculi, ne devenirent in hostis manus, franguntur, timid: E. potius sunt quam fortes. Neque ulla utilitas redundet in Rempublicam, quia sine justa causa suis Patriam civibus privant, cum ex sententia Scipionis & aliorum, unum servare civem præstet, quam mille hostes perdere. Victoria deniq; adhuc dubia, spesq; omnis evadendi nonndum interclusa. Excipiunt, jussu superiorum expresso illos id facere: Verum Magistratui iniqua imperanti obtemperandum non est, potius E. Deo quam hominibus obediendum. Hinc Plato apud Cic. docet; *Piis omnibus retinendum esse animum in custodia corporis, nec injussu ejus, à quo ille est datus, ex hominum vita migrandum esse, ne munus humanum à Deo assignatum, defugesse videamur.*

§ XIX.

Ex his igitur sponte, sicut, metum ex. re illi cita licitam facere non posse. Intrinsicè enim mala quocumq; metu fiant, peccata sunt. Ita vituperantur. Petrus ob malum molestum Dominum suum abnegans Matth. XXVI. de relinquentes legem Domini, & idolis thura incensentes 1. Marcc. I. Si autem aliquis ex metu gravi, cadente in vitum constantem agat aliquid contra legem Divinam positivam, non imputabitur ipsi ad culpam, præsertim si constitutus in summa necessitate, in qua

indobitata fide tenet, ipsum Deum in tali casu Dispensaturum; sic David panes propositionis edebat I. Sam. XXI. quos tamen edere lex divina prohibebat, eodem jure Mathathias in Sabbatho pugnabat I. Macc. II. Num vero illi, qui ex metu mortis latronibus silentium juravit, se factum hoc Magistratui non revelaturum, culpa tribui potest, utpote juranti de re illicita? Ita Balduinus in cas. Lib. II. c. 9. c. 17. putat, hoc modo judicans: *Iuramentum hoc est de re illicita, speciemque habet alicujus collusionis cum latronibus & si maxime talis collusio abest, justitiam tamen impedit, improbos in malitia sua confirmat, proximo in discrimen vita incidendi occasionem præbet, & sic multis modis in pietatem, justitiam & charitatem proximi peccat. Iuramenta autem non debent esse vincula iniquitatis.* Verum in quæstione adhuc est, num illud illicitum, nam tertii interesse non ita perichitatur, quatenus si non jures silentium, te interficeret latro, & ita proximus in ejus manus incidat, hocque ipso justitia non promovetur, nec latrones indicantur Magistratui. Consultius E. tum sibi tum proximo est, quando ad specialem manifestationem non progreditur, sed generali contentus est, sc. locum hunc esse cavendum, quo ipso impedit, ne proximus in manus latronis incurrat. Vid. Danh. Coll. decal. & Dürrii Theol. mor.

§. XX.

IV. *Quando unam passionem tristitiam nempe prævalere, alteram vero, fugam opprimi sinimus, culpa agentibus ex metu tribui potest. Hæc enim effusior tristitia stupore quodam mentem prægravat, omnemque activitatem circa amolenda mala futura sistit: atque ita sicut merus rationalis est incitamentum actionum, sic irrationalis intervencu gravissimæ perturbationis impedimentum earundem evadit. Præsertim vero ejusmodi metu excedente perturbantur consilia, quæ in instanti capienda sunt contra mala subito ingruentia. Hoc Pompejo metu occupato post pugnam pharsalicam teste Dione lib. 42. accidit. Neque enim sue virtutis, neque multitudinis eorum, qui pugne supererant, militum memor, neque eo secum expenso, quod sæpe levisimo momento fortuna eos, quorum res sunt afflictæ, in integrum restituit, omnem de rebus suis spem projecit, cum prioribus temporibus summo animi robore constanter usus fuisset, ac bene semper in rebus adversis sperare consue-*
set.

sec. Iſtiusmodi E. triftitiæ, quæ animos hominum dejicit, rationem-
que conturbat, ut ad ferendam de eo quod agendum fit, ſententiam
miſſime valeamus, locus non eſt relinquendus.

S. XXI.

Vidimus jam metus exceſſum, reliquum E. adhuc eſt, ut paucis
deſectum tangamus. Peccamus vero in deſectu, quando mala fu-
tura & metuenda plane non metuimus, qui deſectus cum ſecuritate
& temeritate coincidit. Imitatur enim ſecuritas fiduciam, quæ plene
lata de futuris eſt, nullaque cupiditate aut metu horum tangitur, eſtque
periculofa valde, dum ita cautelæ & attentio circa futura tanquam ali-
quid non neceſſarium omittuntur, atque ita erroris in cognoscendo,
damni & periculorum in agendo occaſio exiſtit. Illuſtrat hoc
exemplum Romanorum, qui feliciter & inſigni clade Hannibalis
proſtigaverant copias, & ad internationem reliquas cedere potuiſ-
ſent. *Adveniente vero nocte, cum propter ingentem lætitiã que ex re-
bus bene geſtis frequenter evenire conſuevit, nec non ob laborem ſuperio-
ris prælii, negligentius à Romanis ſecuritati deditis cuſtodie fierent: Han-
nibal deſperatis rebus commodiſſimum tempus, ad ſuam ſuorumque ſalutem
adeſſe ratus, intempeſta nocte cum copiis ſtipendiariis, quas Agrigenti ha-
bebat, egreſſus per medias hoſtium munitiones, manipulis palcarum equa-
tis aggeribus, nemine penitus ſentiente cum ſuis omnibus incolumis Eoa-
ſit.* vid. Polybius lib. I. p. 31. Ex ſecuritate hac ſæpenumero pro-
manat temeritas, cujus notiſſimum exemplum nobis eſſe poteſt Goliath
qui viribus & vaſtitati corporis confidens, exercitum Iſraeliticum præ
ſuo robore & mole contemnebat, à Davide vero primo ictu frons ipſius
dividebatur parvo quodam lapillo vid. 1. Sam. XVII.

S. XXII.

Antequam vero finiamus, reſtat adhuc expediendum, num culpa
in allatis exemplis, agentibus imputetur propter metum, an vero
propter ſubſequentem actionem, nam ſi propter metum eſſent culpandi,
ſequeretur, quod etiam eadem culpa digni eſſent poſito metu prohibi-
to,

eo, actione autem mala metum non subsecuta. Sic ille qui metuit malum inane §. 14. allegatum culpa tali dignus censendus, ac ille, qui propter talem metum alterum in duello occiderit, quod tamen incongruum. Respondent ad hoc alii aliter, & proluxe disputant, an factum subsequens addat malitiam peccato præcedenti. Placuit tamen nobis sententia Cajetani qui 12. q. 76. a. 4. dicit; *Dicamus peccata sequentia esse circumstantias peccatorum, & pertinentes ad circumstantiam quid significantem effectum, & paulo post dicit: ambo peccata in unum coire, & secundum esse circumstantiam effectum sc. primi.* Moralitas E. in solo residet metu, malitiaque gravatur per factum subsequens, sic metus quatenus nudus est, non ita culpatur quatenus advenit circumstantia facti subsequentis, quæ metum graviorem constituit, sicut, quando ad furtum accedit circumstantia, quod res surrepta sit res sacra, furtum aggravatur, & majorem meretur culpam. Dicendum E. est, quod ex metu inanis famæ occidens aliquem in duello culpetur, non quia solum metuit hanc famam inanem, sed quia propter hunc metum istiusmodi quid agit. Atque hæc pro vilissimo ingenii mei modulo, non quidem ad ostentandum, sed exercendum illud, de materia hac brevissime apposita sunt, cui quoque sicuti accuratior non est facta inquisitio, omni ex parte admetiendum. Quod superest Deum T. O. M. rogamus ut suam largiatur nobis gratiam, qua affectus omnes exorbitantes refrenare, iisque in tranquillitate uti queamus.

F I N I S.



ULB Halle

007 352 425


3



✓ 278







B.I.G.

Farbkarte #13

32
Ale
EOM
XX
nev
ent
o in
n c
od
que
is,
no
fa
eft
ux
ce

7
17
18
19

32
42
M
1702, 7

J. N. D.
DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
DE
CULPA
AGENTIUM
EX METU,

2

Quam
Numinis divini gratia,
&
indulgentè Amplissima Facultate Philosophica,
IN ACADEMIA LIPSIENSI,
die V. Maji Anno M. DCCII,
publicæ Eruditorum disquisitioni
submitit
P R Æ S E S
M. GODOFREDUS OHM,
Franc. Marchicus
R E S P O N D E N T E
ABRAHAMO Junghans /
Leisnicensi Mishico.

L I P S I Æ,
Typis Joh. Christoph. Brandenburgeri.